

DE PROFESSORE DOCTORE THADDAEO SILNICKI SEMISAECULARIA DOCTISSIMIS STUDIIS DATA SOLLEMNITER CELEBRANTE

Anno MCMLXIII quinquaginta iam erunt anni, postquam dr Thaddaeus Silnicki, Poloniae canonista insignissimus, Universitatis Adami Mickiewicz Posnaniensis professor emeritus, doctrinae studia litteris persequi incepit¹. Maximus et quidem vetustissimus ex eis, qui vivunt, Poloniae canonista laicus, mox excellentissimus investigator quaestionum innotuit, quae tam ad historiam spectant, quam ad iuris scientiam, qui cum res doctas tractabat, eleganti semper ac compta lingua vernacula feliciter utebatur. Ex quibus professoris studiis² non solum Polonorum viri docti fructum perceperunt. Idem operibus doctis communem iuris canonici scientiam haud mediocriter auxit ac ditavit pluribusque historiam, formam et temperationem Ecclesiae in Polonia conciliavit, eius quidem terrae catholicae, quam maxime Orientem versus promotam esse constat.

Natus est Thaddaeus Silnicki die V Octobris anni MDCCCLXXXIX in Wierzchoslawice, vico palatinatus Cracoviensis. Postquam gymnasii scholas absolvit, historiae iurisque studiis in Universitate Ioannis Casimiri Leopolitana se dedit. Anno MCMXIV ad amplissimum doctoris historiae nec non artis historiae gradum promotus, historiae iuris Poloni studium ingressus est, professore Oswaldo Balzer moderatore³, seminarii eiusdem professoris historico-iuridici membrum annis MCMVIII-MCMXIII. Ex quibus studiis dissertatio est profecta, CXXIV paginas continens, c. i. "*Prawo elekcji królów w dobie jagiellońskie*". / De regum eligendorum iure Iagellonica aetate rato/, Leopoli anno MCMXIII typis exarata. Eo tempore ad artis quoque historiae studium iuvenis se contulit, cum simul professori assistebat Ioanni

¹ Libellus hic summarium est Latinum commentationis amplioris, quam professor Silnicki discipulus Polona lingua conscriptam apparavit.

² Cf. "*Sprawozdania Towarzystwa Naukowego we Lwowie*" /Relationes Societatis Scientiarum Leopolitanae/, VII, Lwów 1927, pp. 190-191; A. Glinska, "*Profesor dr Tadeusz Silnicki*" /De professore dr Thaddaeo Silnicki/, Słowo Powszechne, nr 272, Warszawa 1962 et Kierunki, nr 47, Warszawa-Kraków 1962; "*Kronika Uniwersytetu Poznańskiego za lata 1928/29...1958/59*" /Acta Universitatis Posnaniensis annorum spatio MCMXXVIII/XXIX...MCMLVIII/LIX/, Poznań 1930...1961; A. Vetulani, "*Dzieje historii prawa w Polsce*" /De iuris historia in Polonia/, Historia nauki polskiej w monografiach, XVII a, Kraków 1948, p. 45; J. Sawicki, "*Die Entwicklung der Kirchenrechtswissenschaft in Polen 1918-1957*", Österreichisches Archiv für Kirchenrecht, IV, Wien 1958, pp. 243-269; idem "*Aus kirchenrechtsgeschichtlichem Schrifttum in Polen 1946-1959*", Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte, Kanonistische Abteilung, XLVI, Weimar 1960, pp. 628-639 et librorum conspectum, qui iuris canonici doctrinam spectant, Polona lingua ab Adalberto Zmarz, Ioachimo Bar et Iacobo Sawicki exaratum.

³ Cf. T. SILNICKI: "*Oswald Balzer. Wspomnienie póstmiertne*" /De Oswaldo Balzer, morte erepto, commentatio/, Poznań 1933.

Boloz-Antoniewicz, qui cathedrae academicae eiusdem disciplinae praeerat. Annis MCMXX-MCMXXVII seminarium iuris ecclesiastici frequentabat, cuius moderator canonistarum Polonorum praestantissimus, professor Ladislaus Abraham⁴ fuit. Aequae professorum Balzer et Abraham seminaria, quae tam Leopoli, quam in tota Polonia laudibus florebant⁵, eundem optime ad subtiliorem doctrinae cognitionem et mox ad educandi negotia subeunda praeeparaverunt.

Auxilio Gallicae Reipublicae adiutus in scholis academicis Gallorum studiis tam historicis, quam iuridicis se immergebat Thaddaeus Silnicki terramque illam accuratius cognoscebat omnibus ab ultimo initio terris auctoritate multifariam praeminentem. Bibliothecas quoque Galliae et tabularia non omittit scholisque adest historiae iuris ecclesiastici. In Bibliotheca Nationali Parisina libros manuscriptos indagat, quibus "*Collectio trium partium*" Ivonis episcopi Carnutensis saec. XII continentur itemque scholas professoris Pauli Fournier / Sorbonne / frequentat, qui fontium vetustioris iuris canonici, ante Gratiani Decretum editum, peritissimus inclaurit nec non scholas professoris Roberti Génestal / Ecole des Hautes Etudes/, eius, qui doctissimos omnibusque notos libros in publicum emittebat studiaque dedit "privilegio fori" explicando, in Gallia mediaevali vigente.

Annis MCMXXIV-MCMXXVIII Thaddaeus Silnicki professori Abraham assistebat et tum primitias dissertationum concipiebat, quae ad iuris canonici doctrinam spectabant. Anno MCMXXVII dissertatione, CLVIII paginarum conscripta, c. t. "*Organizacja archidiaconatu w Polsce*" / De forma et temperatione archidiaconatus in Polonia⁶, apud doctissimum ma-

⁴ Cf. T. SILNICKI: "*Le professeur Ladislas Abraham lauréat du prix Szajnocha de la ville de Léopol*", Przewodnik Historyczno-Prawny /Revue d'Histoire du Droit/, I, Lwów 1930, pp. 202-204.

⁵ Cf. T. SILNICKI: "*Wspomnienia o seminariach profesorów Oswalda Balzera i Władysława Abrahama*" /Commentationes de seminariis professorum Oswaldi Balzer et Ladislai Abraham/, Z zagadnień dydaktycznych szkolnictwa wyższego, I, Poznań 1948, pp. 77-81.

⁶ Thaddaei Silnicki liber de archidiaconatu in Polonia compositus in peregrinis quoque terris innotuit, atque a Henrico, Felice Schmid, Universitatis Austriaci Graecensis professore, rerum Polonarum et Slavicarum peritissimo /qui inter alia opus quoque, c. t. "*Die rechtlichen Grundlagen der Pfarrorganisation auf westslavischem Boden und ihre Entwicklung während des Mittelalters*", Weimar 1938 composuit/, collaudatus est, ut ex eiusdem viri doctissimi censura vides, quae in Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte, Kanonistische Abteilung, XVII, Weimar 1928, in publicum data est. In eiusdem censurae calce haec verba legis, quibus planissime elucet, quanti professoris Silnicki opus a censore eruditissimo aestimetur /pp. 690-691/:

"Silnickis aufschlussreiche Schrift bringt auch eine ausführliche Übersicht der Archidiaconatsbezirke innerhalb der einzelnen Diözesen, die namentlich für die kirchliche Verwaltungstopographie wertvoll ist, aber auch für die kirchliche Verfassungsgeschichte ergiebig ist: besondere Beachtung verdient etwa der Hinweis auf die eigentümliche Erscheinung, dass in Ostpommern um die Wende des XIII Jahrhunderts der kurzlebige Stolper Archidiaconat der Gnesener Erzdiözese und der Pommerellische Archidiaconat des Bistums Wloclawek zeitweise in einer Hand vereinigt waren. So schien sich hier gewissermassen eine neue kirchliche Einheit ohne Rücksicht auf die Diözesangrenzen herauszubilden, die vielleicht die Grundlage für

gistrum veniam legendi adeptus est, statimque scholas de iuris ecclesiastici historia ingressus est habere, primum Leopoli, deinde apud auditores Ordinis Iuridico — Oeconomici Universitatis Posnaniensis Posnaniae, in universitate nuper tum condita, ibique iuris canonici seminarium de integro ordinavit, unde tam multa ipsius viri doctissimi opera initium duxerunt.

Inde ab anno MCMXXVIII professor Silnicki studii causa et ad cognitionem proferendam non semel permultas sane peregrinas terras visitavit, ut Austriam, Germaniam, Belgicam, Bataviam, Galliam, Italiam et Hispaniam. Post quas quidem peregrinationes a viro docto susceptas duo eiusdem opuscula in publicum data sunt, scilicet dissertatio de Hugone et Guidone, cardinalibus et papae legatis Gallicis saec. XIII nec non magnum CCCLXXX paginarum opus, c. i. *"Dzieje i ustrój Kósciola na Slasku de Kónca XIV w."* / De historia ac statu Ecclesiae in Silesia usque ad finem saec. XIV /. Admonendum est professorem Silnicki participem fuisse conventuum doctorum, ad quos celebrandos nonnullae terrae legatos mittebant, ut V Historicorum Conventus a. MCMXXIII Bruxelis et VII Historicorum Conventus Varsaviae a. MCMXXXIII habiti. In quo proximo conventu praelectionem habuit ipse, c. t. *"Die Idee der Reform polnischer Benediktinerklöster und das Konstanzer Konzil"*, ad quam conscribendam nonnihil studia ei profuerunt in Melk, Austriae Inferioris abbatia benedictinorum, suscepta.

Orbis totius, quod ita dicitur, bellum secundum postquam a. MCMXXXIX esse coepit, professor Silnicki officina et studiorum exercendorum facultate statim est privatus. Crudeliter a Germanis Posnania expulsus, mense Novembri a. MCMXXXIX cum aliis professoribus in castris poenae perferendae destinatis Posnaniae, in urbis parte, quae "Główna" appellatur, postea vero in oppido Ostrowiec Kielecki commoratur⁸. Qua exactione bibliotheca satis ampla privatus ipse, dissertationes quasdam, ad prela paratas deperdidit. Tum bibliotheca quoque seminarii iuris ecclesiastici Posnaniensis paene tota periit, magna cum cura ab ipso comparata. Postquam e castris exiit, usque ad finem belli in Polonia Minore delitescebat ibique secreto gymnasii alumnos adocebat.

die Entstehung eines neuen Bistums hätte werden können, wenn nicht die Eroberung Pomerelles durch den Deutschen Orden und die ihr folgende Rückgabe Stols an das Bistum Kamin diese Entwicklung abgeschnitten hätte. In ihrer Gesamtheit stellt die urch gewissenhafte Benutzung der verstreuten Quellen und der umfangreichen Literatur — namentlich die grosse deutsche Archidiakonats — literatur ist fast vollständig herangezogen und geschickt ausgewertet — ausgezeichnete Arbeit eine wichtige Bereicherung des Schrifttums der kirchlichen Verfassungsgeschichte dar, gibt sie doch zum ersten Male dem Rechtshistoriker die Möglichkeit, die Geschichte eines für die Entwicklung der kirchlichen Rechtsordnung so bedeutungsvollen Instituts wie eben des Archidiakonats ausserhalb des Bereiches der deutschen Kirche an der Hand einer Monographie zu verfolgen".

⁷ Cf. La Pologne au VII-e Congrès International des Sciences Historiques, I, Varsovie 1933, pp. 373-389.

⁸ Ea, quae tum perpressus sit, in libello, c. i. *"Humanizm-to nie nie znaczy"* / De vilissima humanismi auctoritate/, Kierunki, nr 42, Warszawa-Kraków 1962, descripsit. Addere his liceat in castris exulibus destinatis, matrem quoque professoris, anum septuaginta quinque annorum, commorata esse ibique vitam finivisse.

Post bellum finitum scholas habet iuris ecclesiastici in Universitate Posnaniensi et Cracoviensi nec non in Seminario Clericorum Archiepiscopali Wratislaviensi. Die XXX Septembris a. MCMLX vacationem muneris accepit. Sed etsi ab universitate discessit, iuris canonici doctrinae studia nihilo minus continuat. Eo quidem temporis spatio eiusdem opuscula selecta in publicum emittuntur, q. t. "*Z dziejów Kościoła w Polsce*" /De Ecclesiae Polonae historia — quaestiones selectae/, pp. D et dissertatio, c. t. "*Sobory powszechne a Polska*" /De ratione inter Poloniam et Concilia Oecumenica intercedente/, quod CLXIV pp. opus Secundi Concilii Oecumenici Vaticani a beatae memoriae papa Ioanne XXIII convocati causa exaratum est. Sub finem a. MCMLXII studium datum est professoris lingua Polona conscriptum de Ecclesiae primitiis a prioribus Christianis Poloniae principibus de integro ordinatae, scilicet a Mescone I et Boleslao Chabro. Professor Silnicki ultimus profecto fuit professor Ordinis Iuridici, qui in Poloniae universitatibus de iure ecclesiastico scholas faciebat⁹.

Inter opera profesoris, iubilaeum celebrantis, diversa invenies genera et studiorum et litterarum. Dissertationes extant, quae ad merum doctrinae studium pertinent, commentationes et libelli ad communem sensum accommodati, qui non semel in catholicis ephemeridibus impressi apparebant. Thaddaeus Silnicki enim aequae maiora studia, quam minutos commentarios egregie exarabat. Ad eos quoque rerum gestarum indagatores vir doctissimus pertinet, qui praecipue orationis facultate egregia vigent.

Varias profecto ac diversas quaestiones ad se pertinere professor Silnicki putabat. Inde ad eodem et Ecclesiae historia in Silesia ac Pomerania tractabatur, late ac diffuse rationes explicabantur, inter Poloniam et Sedem Apostolicam medio aevo intercedentes, aequae ac officiorum ecclesiasticorum historia, ut archidiaconatus seu legationum papalium. Non desunt profecto studia de Gallorum multifaria auctoritate apud mediaevalem Poloniae Ecclesiam, item egregia opera de vita vetustiorum Ecclesiae principum conscripta, qui tam in Ecclesia, quam in rebus publicis vigeant, studia Conciliis Oecumenicis et Polonis eorum sociis ac legationibus data. Statuta quoque conciliaria legatorum papalium a professore Silnicki indagata sunt. Quibus omnibus operibus pulcherrimum librum adiungimus de vita et studiis doctis professoris Abraham /MDCCCLX-MCMXLI/ conscriptum¹⁰.

Haec opuscula et studia specie dissipata ac soluta, unam tamen ac planam conficiunt imaginem, qua Ecclesia Polona inde a primordiis usque ad nostra equidem tempora perspicue illustratur.

Professor Silnicki ante omnia medii aevi scientissimus innotuit, cui sae-

⁹ In universitatibus laicalibus Reipublicae Polonae nostra aetate scholae de iure canonico omnino non habentur. Veteres iuris canonici professores alius iuris historiae operam dare oacti sunt.

¹⁰ A. MCMLXII principale. Ladislai Abraham opus, c. t. "*Organizacja Kościoła w Polsce do połowy wieku XII*" /De Ecclesiae in Polonia statu usque ad XII medium saec./, prelum reliquit, profesore Silnicki editore id quidem curante. Ea III erit operis editio.

culorum spatio praestantissima studia et optimos libros typis exscriptos dicavit. Mediaevalis Ecclesia Polona viri doctissimi opinione artissime cum Romanensi, qui ita appellantur, Occidente cohaeret, nonnulla ex uberrimo illo cultus atque humanitatis thesauro haurit, eiusdemque intimis manifestationibus gaudet. In libro, vernacula lingua conscripto, q. i. "*Wplywy francuskie na Kóściół w Polsce w Wiekach Srednich*" /Qua auctoritate Gallia apud Ecclesiam in Polonia medio aevo fuerit/, rectius, quam ceteri Ecclesiae indagatores Poloni, docuit ratam esse opinionem, quam olim Conradus Grunhagen in opere, c. i. "*Geschichte Schlesiens*" proposuit: "dass die Polen über Deutschland hinweg den Franzosen die Hand reichten"¹¹. Ex Gallia enim, quae dudum non sine iusta causa Ecclesiae filia natu maior appellata est, in nostram equidem terram praestantissimi clerici veniebant, saepe legati ac legislatores nobilissimi /e. c. Jacobus archidiacon Leodiensis et Guido cardinalis/, qui consuetudinum ecclesiasticarum notitiam ex Occidente secum apportabant, item praescriptorum legumque in corpus redactarum nec non Ecclesiae officiorum eorumque formarum notitiam¹².

Professor Silnicki ex more suo maxime ratas potius quaestiones indagavit. Cum ceteri canonistae Poloni laici, ut professor Adam Vetulani Cracoviensis aut professor Iacobus Sawicki Varsaviensis in fontes magis iuris canonici inquirebant /scilicet in Gratiani Decretum¹³ — Vetulani, in Concilia Poloniae¹⁴ — Sawicki/ idem nonnulla sollerter et ingeniose cogitata proferebat, qua in ratione studiorum professoris Abraham discipuli inter omnes omnino excellunt. Ex qua familia hinc viri doctissimi enumerandi sunt: sacerdos Petrus Kalwa, episcopus ordinarius Lublinensis, sacerdos Michaël Wyszynski, Universitatis Wratislaviensis professor et professor Leo Halban, ante hos tres annos morte ereptus.

Professoris Silnicki opera quamvis multa sane et documenta et tabulas continent, facillime et cum voluptate quadam cognoscuntur. Id et scribendi et quaestionum concipiendarum ratione fit, qua vir doctissimus felicissime utitur. Fontes, quos sagacissime indagavit, in historico, ut ita dicere liceat, fundamento collocatos contemplari solet atque inde haud difficile cognoscit, quo modo instituta quaedam incrementum ceperint, quo cogitationis motu principes, quos investigaret, viri lati sint, quidque agere sibi proposuerint.

¹¹ I, Gotha 1884, p. 19.

¹² Cf. A. VETULANI: "*Die Einführung der Offiziale in Polen. Ein Beitrag zur Verbreitungsgeschichte des bischöflichen Offizialats im Mittelalter*", *Collectanea Theologica*, XV, Lwów 1934, pp. 277-322.

¹³ Cf. R. METZ: "*A propos des travaux de M. Adam Vetulani*", *Revue de Droit Canonique*, VII, nr 1, Strasbourg 1957, pp. 62-85 et A. Vetulani, "*Le Décret de Gratien et les premiers décrets à la lumière d'une source nouvelle*", *Studia Gratiana*, VII, Bononiae 1959, pp. 275-353.

¹⁴ Cf. J. SAWICKI: "*Programme et état actuel des travaux préparatoires relatifs à la publication du "Corpus conciliorum Poloniae"*", *Czasopismo prawno-historyczne /Annales d'Histoire du Droit/*, II, Poznań 1949, pp. 209-226; idem, "*Geschichte und heutiger Stand der Vorarbeiten zur Gesamtausgabe der polnischen Synodalstatuten*", *Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte, Kanonistische Abteilung*, XLVI, Weimar 1960, pp. 395-429.

Id maxime in oculos incurrit in operibus, quae Thaddaeus Silnicki Sancto Adalberto consecravit, Guidoni cardinali, Iacobo Swinka archiepiscopo, Nankero episcopo seu Nicolao Traba, archiepiscoporum principi. Viri doctissimi opera plane ab eis distant aliorum studiis, de quibus non sine quadam hilaritate dicere consuevimus ea ad singulas potius res interpretandas apta fieri.

Ex maioribus operibus viri eruditissimi, sollemnia celebrantis appellanda sunt haec:

I. "*Prawo elekoji królów w dobie jagiellónskiej*" /De regum eligendorum iure iagellonica aetate rato/, a. MCMXIII, pp. CXXIV.

II. "*Organizacja archidiaconatu w Polsce*" /De forma et temperatione archidiaconatus in Polonia/, a. MCMXXVII, pp. CLVIII.

III. "*Dzieje i ustrój Kościoła na Śląsku do końca XIV w.*" /De historia ac statu Ecclesiae in Silesia usque ad finem saec. XIV/, I ed. a. MCMXXXIX, pp. CCCLXXX, II ed. a. MCMLIII, pp. CDVIII.

IV. "*Władysław Abraham. 1860-1941*". /De Ladislao Abraham MDCCCLX-MCMXLI/, I ed. a. MCML, pp. LXXXII, II ed. a. MCMLXII, pp. LXXVII.

V. "*Biskup Nanker*" /De Nankero episcopo/, a. MCMLIII, pp. CXXXIII.

VI. "*Arcybiskup Mikołaj Traba*" /De Nicolao Traba archiepiscopo/, a. MCMLIV, pp. CCIV.

VII. "*Arcybiskup Jakub Swinka i jego epoka*" /De Iacobo Swinca archiepiscopo eiusque aetate/ — liber una cum Casimiro Golab exaratus — a. MCMLVI, pp. CCCXII.

VIII. "*Z dziejów Kościoła w Polsce*" /De Ecclesiae Polonae historia — quaestiones selectae/, a. MCMLX, pp. D. Opus ex hisce constat dissertationibus, quae annis MCMXXV-MCMLX lingua Polona typis exaratae sunt:

A) "*Millenium*" /De Sacro Poloniae Millenio/.

B) "*Święty Wojciech-człowiek i święty oraz jego działalność na tle epoki*" /De Sancto Adalberto, homine et Sancto de eiusque actionibus sua aetate susceptis/.

C) "*Początki chrześcijaństwa i organizacji kościelnej na Pomorzu*" /De Christianae religionis primordiis eiusque statu in Pomerania/.

D) "*Rola dziejowa Kościoła polskiego na Śląsku w wiekach XI-XIII*" /Ecclesiae Polonae in Silesia auctoritas, quae fuerit saec. XI-XIII/.

E) "*Organizacja archidiaconatu w Polsce*" /De archidiaconatus in Polonia statu/.

F) "*Kościół a zasada swobodnej dyspozycji własności ziemskiej w Pols-*

ce Wiekow Srednich" /De Ecclesia et libero in Polonia medii aevi arbitrio in locorum possessione ordinanda/.

G) "*Kardynal legat Hugo St. Cher a Polska*" /De Hugone St. Cher cardinali legato eiusque cum Polonia comercio/.

H) "*Kardynal legat Gwido, jego synod wroclawski w roku 1267 i statuty tego synodu*" /De Guidone cardinali legato, eius concilio Wratislaviensi a. MCCLXVII et de eius concilii statutis/.

I) "*Wplywy francuskie na Kosciol w Polsce w Wiekach Srednich*" /Qua auctoritate Gallia apud Ecclesiam in Polonia medio aevo fuerit/.

K) "*Idea reformy polskich klasztorów benedyktynskich a Sobór w Konstancji*" /De consilio emendationis monasteriorum ordinis Sancti Benedicti et de Concilio Oecumenico Constantiensi/.

L) "*Ordo visitationis z poczatku XV wieku*" /De ordine visitationis saec. XV ineunte composito/.

IX. "*Sobory powszechne a Polska*" /De ratione inter Poloniam et Concilia Oecumenica intercedente/, a. MCMLXII, pp. CLXIV.

X. "*Poczatki organizacji Kościoła w Polsce za Miezca I i Bolesława Chrobrego*" /De Ecclesiae in Polonia forma eiusque origine, Mesconis I et Boleslai Chabri aetate/, a. MCMLXII, pp. XLII.

XI. "*O klasztorach i zyciu klasztornym*" /De monasteriis et de monachorum vita/ — opus ad prelum paratum.

XII. "*Historia Kościoła w Polsce w XV w.*" /De Ecclesiae historia in Polonia saec. XV/ — liber in praesentia manuscriptus.

Operibus supra allatis subiungenda sunt opuscula minora, studia, commentationes librorumque censurae, quae in ephemeridibus doctis aut actis catholicis, singulis hebdomadibus divulgabantur. Novissime autem professor Silnicki studia quaedam meditantur, ad baptismi Poloniae Millenium Sacrum celebrandum destinata, quod a. MCMLXVI Ecclesia Polona sollemniter prosequetur.

Professor Silnicki membrum fuit Societatis Scientiarum et Societatis Historicorum Leopolitanae, socius Consilii Historicorum et Iurisconsultorum Academiae Polonae Litterarum et Scientiarum Cracoviensis, inde a pluribus annis membrum est Société d'Histoire du Droit Parisinae et Societatis Scientiae Fautorum Posnaniensis. A. MCMLXII dissertationis auctor doctissimus, lingua vernacula tum primum de Conciliis Oecumenicis conscriptae, praemio donatus est Vladimirii Pietrzak, condito ac legato ab Instituto "Pax" Varsaviensi.

Professorem, sacra semisaecularia celebrantem votis optimis prosequimur, ut successu operum doctorum exultans his quinquaginta annis multos deinceps alios felicissime subiungat.

CASIMIRUS GOLAB